DE

# NUBIBUS ARISTOPHANIS.

---

## DISSERTATIO
## INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIUERSITATE GRYPHISWALDENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIII. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLXXI

H. XII

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

PAULUS WEYLAND

POMMERANUS.

---

ADUERSARII:

G. SCHOEMANN, CAND. PHIL.
J. LUCHS, STUD. PHIL.

---

GRYPHISWALDIAE.

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, ACAD. TYPOGR.

MDCCCLXXI.

Francisco Buth

amicissimo studiorum sodali.

Duae fuerunt olim Aristophanis fabulae, quarum utrique Νεφέλαι nomen erat [1]): altera docta Athenis Ol. 89, 1 archonte Isarcho cessit eis quas Cratinus et Eupolis

---

1) Hypothes. VII Nub. (Fritzschius: De fabulis ab Aristophane retractatis IV 8, 7; Teuffel: Mus Rhen. X pag 218 sq.); hypothes. V Nub.; hypothes. VI Nub. (Teuffel: Mus. Rhen. X p. 219 sq.); scholl. Nub. 520. 24. 43. 49. 52. 80. 91, Vesp. 1044; schol. Parisin. in Pseudo-Plat. Axioch. XI p. 187. ed. Bip. (Fritzschius l. l. IV p. 7; Teuffel: Mus. Rhen. X p. 218; quibus uiris refragatur Buecheler: Iahni Annales etc. 83 p. 676); Athen. ed. Mein. VII p. 299b, VIII p. 345 f, IV p. 171 c. (Fritzschius l. l. IV p. 6); Bekker: Anecd. p. 85. 28; sequuntur ei loci, quibus frustula nonnulla ad Nubes Aristophanis feruntur, quae in nostra editione non inueniuntur: Athen. XI p. 479c; Phot. ed. Naber II p. 65 p. 88; Diogen. Laert. II 18, quem locum Fritzschius (l. l. V p. 7 sqq.) correctum licet doctius quam uerius (Teuffel: Mus. Rhen. X p. 227) recte contra Dindorfium (Poet. scaen. ed. 1868 fascic. IV p. 189) aliosque ad Nubes Aristophanis rettulit; de ceteris, quae huc ualere uideantur, omnibus praeter fragmentorum editores G. Hermannus: praef. ad Nub. edit. 1830 p. 30 conferendus est; restat unum testimonium Eratosthenis (schol. Nub. 552), unde intellegitur grammaticorum de duabus Aristophanis Nubibus laudationes ad iteratam eiusdem fabulae actionem pertinere non posse, quod et ipsum prae ceteris (Richter: prolegg. ad Arist. Pac. edit. 1860 p. 20) e nonnullis locis de utraque fabula ab ipsis ueteribus allatis cog-

in certamen miserant fabulis[2]), altera secundum sana iudicia artis criticae omnino nunquam acta est[3]). sed cum una tantum ad nostra tempora perdurauerit, altera antiquitus interiisse[4]) neque primo quidem obtutu praeter paucos uersiculos quidquam superesse uideatur, quod ei certis testimoniis tribui possit, nullo tamen modo dubitari potest, quin ea, quam manibus tenemus, diuersa sit ab illa, quae Ol. 89, 1 data est. primum enim ex ea, qua fabula nobis seruata est, condicione apparet eam a poeta omnino non absolutam esse[5]); deinde non pauca in ea insunt, quae Aristophanem post illud tempus in ipsa elaboranda occupatum fuisse comprobent[6]). est igitur ea quae nobis tradita est aetatis recentioris, antiquioris ea

---

nosci potest. fuere autem duae neque plures (hypothes. V Nub.; schol. Nub. 31) Aristophanis fabulae illo N. nomine inscriptae (Fritzschius l. l. II p. 5 sqq.; Buecheler l. l. p. 684).

2) Hypothes. V Nub.; Nub. 524; Vesp. 1043 sqq. ceterum hoc loco moneo Aristophanis locos e Th. Bergkii edit. II 1867, scholia e sylloga Fr. Duebneri 1842 laudata esse.

3) Eratosthenes apud schol. Nub. 552 fabulam actam retractatae opponit. e recentioribus aliter R. Enger: 'Ueber die Parabase der W. des A.' Ostrowo 1853 p. 17 sq. indicauit, contra quem recte egerunt Teuffel: Iahn. Annal. etc. 69: p. 551 sqq., Philol. VII p. 353, Mus. Rhen. X p. 221 sq. et Buecheler l. l. p. 683.

4) Fritzschius l. l. IV p. 6; Teuffel: Mus. Rhen. p. 215 sqq.

5) G. Hermann. l. l. p. 20; Fritzschius l. l. I p. 8, IV p. 10; Teuffel: Philol. VII p. 330 sq. p. 344, Mus. Rhen. X p. 220. 3); Koechly: Akademische Vortraege I 1859 p. 415; Buecheler l. l. p. 683; Goettling: Berichte der saechsischen Gesellsch. der Wissensch. 1856 p. 15.

6) Nub. 553 sqq. cf. cum scholl. Nub. 553. 549; Fritzschius l. l. II p. 3 sq.

quae ab Atheniensibus spectata est. qua cum sententia bene concinunt ueterum grammaticorum testimonia, a quibus illa Νεφέλαι α΄ [7]) haec Νεφέλαι β΄ [8]) appellatur.

Itaque cum nobis propositum sit de prioribus Nubibus agere, ad eam fabulam ferimur, quae Ol. 89, 1 data est. neque uero ad hanc quaestionem absoluendam acquiescemus in perpaucis illis uestigiis de proecdosi, ut ita dicam, apud ueteres scriptores superstitibus [9]), sed imprimis quaerendum est, quae tandem condicio inter utramque fabulam intercedat. non enim de Nubibus idem ualet, quod de aliis nonnullis Aristophanis fabulis obseruatum est, quae in argumento satis dissimili eosdem titulos seruabant [10]), sed altera alterius est retractatio, ut poeta idem argumentum in posteriore uideatur exposuisse atque in priore singulis modo mutatis et in rebus et in stilo et in oratione [11]). accedit quod Ari-

---

7) Auctores scholl. Nub. 520. 24. 43. 49, hypothes. V Nub. (*αἱ πρῶται Ν. — ἐδιδάχθησαν*) nostrae comoediae alteram illam ut priorem opponunt.

8) Athen. VII p. 299b, VIII p. 345 f; grammaticus apud Bekker. Anecd. 85. 28; contra sententiam nostram nihil ualent qui loci de prioribus Nubibus laudati in nostra comoedia inueniuntur (Dindorf. l. l. p. 188, 2; Teuffel: Mus. Rhen. X p. 218 ad Athen. IV 171 c).

9) Cf. Not. 1.

10) Dramata (Bergk. ap. Mein. Com. II p. 1055) Plutus (Fr. Ritter: De Arist. Pluto. Bonnae 1828 p. 46 sq. p. 60 sq.) Thesmophoriazusae (Fritzschius in progr. 1831).

11) Hypothes. VI. (Teuffel: Mus. Rhen. X p. 220. 1); Nub. 522 sqq.; Teuffel ad h. u. in edit. 1867; latinam, quam Teuffel ante hanc fecit, Nub. editionem non inspeximus.

stophanes hanc retractationem prioris comoediae non absolutam reliquit. cuius rei certa uestigia in eis locis apparent, ubi noua cum ueteribus ita sunt consarcinata siue ab ipso poeta siue ab editore temporis subsequentis, ut ex comparatione utrorumque fieri non possit quin aliquid saltem lucis ad deperditam comoediam accuratius cognoscendam redundet. recte igitur omnibus VV. DD., qui de prioribus Nubibus sapienter scripserunt, posterior fabula digna esse uidebatur, a qua uelut fundamento tota disquisitio proficisceretur. et ne nos quidem ab hac uia et ratione secessimus id ante omnia agentes, ut sententias a VV. DD. prolatas componeremus, ueras uel probabiles firmaremus, falsas uel ueri minus similes refutaremus. nec tamen in animo nobis est omnia exponere, quae de priore fabula facile possint coaceruari, sed eos in primis posterioris comoediae locos, qui proecdosi abiudicandi esse uideantur, ita enarrare, ut quae horum loco in priore fabula posita fuerint probabilibus coniecturis adsequi conemur. ac duce quidem utemur auctore hypotheseos sextae ad metecdosin i. e. ad posteriorem Nubium comoediam respicientis, qui iure VV. DD. plerisque fide uisus est dignissimus [12]). is igitur tradit duo esse mutationis genera, quibus posterior a priore fabula discedat, διόρθωσιν alterum i. e. leuem singulorum uersuum correctionem, alterum διασκευήν i. e. nouam totarum scaenarum elaborationem. διόρθωσις uero, cuius ille singulas

12) Fritzschius l. l. I p. 8; Teuffel: Mus. Rhen. X p. 215, Nub. edit. p. 22; Koechly l. l. p. 414 sqq.; Buecheler l. l. p. 685.

species affert, cum nobis difficillima sit ad recognoscendum, alterum mutationis genus accuratius consideremus ac praecipue tria exempla, quae ille prae ceteris [13]) his fere [14]) uerbis exponit: *τὰ δὲ ὁλοσχεροῦς τῆς διασκευῆς τοιαῦτα ὄντα τετύχηκεν· αὐτίκα μάλα* [15]) *ἡ παράβασις τοῦ χοροῦ ἤμειπται, καὶ ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τον ἄδικον λαλεῖ, καὶ τὸ* [16]) *τελευταῖον ὅπου καίεται ἡ διατριβὴ Σωκράτους.* quae singula quid sibi uelint ut accuratius percipiatur, est exponendum:

## I. De parabasi Nubium.

### 1. *De propria parabasi metecdoseos.*

Atque certissimum est iudicium de eo loco, qui proprie parabasis dicitur (518—62). ei enim uersus, quibus poeta de fatis aduersis priorum Nubium queritur (518—26), in his extitisse non possunt [17]). idem ualet de uersibus inde a 545 ad 562. qui cum tam arto sententiarum nexu inter se cohaereant, ut in singulas partes diuersis temporibus conscriptas dirimi uix possint, omnes propter Maricantem fabulam Eupolideam notatam (553 sqq.)

---

13) Hic sensus uerbis *τοιαῦτα* et *αὐτίκα μάλα* subest. Buecheler l. l. p. 685; Teuffel: Mus Rhen. p. 234.

14) Exhibuimus prima (*τὰ δὲ — τετύχηκεν*) uerba e coniectura Dindorfii (neque enim ex sententia nostra Buechcler l. l. p. 685 disputauit), quae omnium minime a tradito litterarum ductu recedit.

15) Buecheler e cod. Veneto recte restituit l. l. p. 685.

16) Fritzschius *τὸ* adiecit.

17) Fritzschius l. l. II p. 3; Teuffel: Mus. Rhen. X p. 230; Buecheler l. l. p. 680 sqq.: Koechly l. l. p. 416.

proecdosi abiudicandi sunt[18]). neque magis de uersibus a 527 ad 536 dubitamus. primum enim per se probabilius est poetam plane nouum carmen contexere maluisse quam ueteribus ita adicere noua, ut nemo in eo offenderet; deinde uero, si quis ad proecdosin hos uersus referat, non facile quae eis continentur explicari possint. dubitat autem poeta, num haec fabula aeque sapientes spectatores inuentura sit ac Daetalenses (534—36). sed quod fabulae antecedentes multo etiam magis quam Daetalenses honoratae erant[19]), huius dubitationis uix ulla iusta causa cogitari potest. ex altera uero parte facile intelleges, cur post Nubium malam fortunam poeta polliceatur se sua quidem uoluntate spectatores deserturum non esse (527). tum etiam merito incertus esse poterat, num spectatores hanc fabulam rectius percepturi essent priore illa cognomini, quam propter ineptum eorum iudicium cecidisse initio ipsius nostrae parabaseos disertis uerbis indicat. restat denique locus qui a u. 537 incipit. est autem uni metecdosi attribuendus. cui sententiae qui refragatur, Nostrum maxime grandiloquum et sibi inconstantem fuisse arbitrabitur, quia sic uanis laudibus se efferret et longe recederet ab ea ratione, quam ipse aliis locis pronuntiauit[20]) et diligenter secutus est[21]). sed

18) Schol. Nub. 552; Athen. VII p. 299b; Fritzschius l. l. II p. 4.

19) Daetalenses secundas (schol. Nub. 529) Acharnenses et Equites primas tulerant (hypothes. I Ach., hypothes. II Equit.).

20) Pac. 734 sq. cf. cum Ach. 628 sq.

21) Ei, quam Aristophanes Pac. 734 sq. professus est,

Nubibus explosis si poetam ad ea conscribenda permotum esse existimes, quibus spectatoribus uirtutes fabularum ostenderet, non scurrae aut gloriosi sed defensoris atque patroni officio fungi tibi uidebitur. quam ob rem non dubitabimus opinionem et ueterum et recentiorum criticorum comprobare, qui eius quam hodie legimus parabaseos ne uerbum quidem in proecdosi positum fuisse censuerunt [22]).

## 2. *De propria parabasi proecdoseos.*

Iam uero quaeritur, quid exploratum sit de propria parabasi prioris fabulae. ac metrum Eupolideum in ea a poeta adhibitum esse scholiasta ad Nub. 520 negat. neque quidquam obstat, quominus una cum argumento carminis

---

sententiae sequentes uersus (739—69) non obstant. nam cum ea, quae illis continentur, e condicione pendeant poetae ipsi fere improbata (736 cf. c. 734), omnis laus illorum uersuum facile euanescit. quae uero in omnibus ceteris fabulis eius laudes inueniuntur, eis una defensio auctoris ab inimicis iniuste petiti efficitur: Ach. 633—58 cf. c. 630 sqq; Equit. 515. 545 cf. c. 512 sqq. et cum his: *διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας, τετράδι αὐτὸν γεγονέναι λέγοντες κατὰ τὴν παροιμίαν ἄλλοις πονοῦντα* (uitae scriptor e cod. Veneto 474 ap. Duebn. ante scholl. syll. p. 28. 2). huic autem testi eo libentius credimus, quo minus nobis persuasum est eum haec ex ullo Aristophanis fabularum loco sumpsisse; Vesp. 1018 sqq. cf. c. 1017. profert enim poeta hos uersus apud eosdem spectatores ciues Athenienses et socios, qui ipso anno proximo Nubes prodiderant (Richter: prolegg. ad Vesp. edit. 1858 p. 28).

22) hyp. VI. Nub.; schol. Nub. 520; Teuffel: Mus. Rhen. X p. 229.

metrum quoque mutatum esse censeamus [23]), praesertim cum apud Nostrum, licet Eupolideum metrum haud raro in parabasibus adhibitum sit [24]), anapaesti tanto saepius quidem inueniantur, ut sollemnem quasi in parabasibus sedem habere uideantur [25]). et confirmatur scholiastae opinio eo, quod commatii uersus, qui de priore fabula ad nos peruenerunt [26]), anapaestico metro conscripti sunt. recte enim VV. DD. eos tetrametris anapaesticis catalecticis argumentum propriae parabaseos exponentibus praepositos fuisse ex aliarum fabularum similitudine coniecisse uidentur. sed pro ueris haec, quae probabilia esse diximus, poni possent, modo certa iudicii necessitate cogeremur hoc frustulum prioris fabulae ‚Μηδὲ στέψω κοτυλίσκους' [27]) ad ipsam hanc comoediae partem referre. quod quia fieri non potest, praestabit hanc rem in medio relinquere ita tamen, ut anapaestis illam parabasin elaboratam fuisse ueri tanto similius esse dicamus, quanto saepius prae Eupolideo hoc metrum apud Aristophanem in parabasibus occurrat.

### 3. *De Nubium oda antoda antepirrhemate.*

De argumento autem, quod proecdoseos parabasi enarratum fuerat, cum multo minus certa quam de forma

---

23) Fritzschius l. l. II 3 recte de hoc scholio statuisse uidetur.

24) R. Westphal: Griech. Metrik 1868 II p. 772.

25) Ach. 627; Equit. 503 sq.; Pac 735; Au. 684.

26) Buecheler l. l. p. 663.

27) Nicander ap. Athen. X p. 479c; Fritzschius l. l. V p. 13; Dindorf. l. l. p. 188. 2.

proferri possint, ad reliqua parabaseos carmina transeamus. atque odam quidem et antodam in acta comoedia locum habuisse VV. DD. propterea iudicauerunt, quod nihil eas ab illa abiudicandas esse comprobaret [28]). idem iudicium ob eandem rationem ad antepirrhema uidetur pertinere [29]). sed si poeta u. 607 sqq. nuntium illum denotat, quem Cleon expeditione Pylia bene finita Athenas miserat, non idcirco hic locus metecdosi continuo abrogandus est. quamquam enim in illis uersibus, si proecdosi tribuimus, plus acerbae irrisionis inerat, tamen etiam posteriore aetate non omnis uis ex eis euanuerat, dum essent Athenis, qui epistulae illius imperatoriae et noui usus *χαίρειν* uocis reminiscerentur [30]). neque certius quidquam ex mentione fastorum perturbatorum colligi potest, id quod prae ceteris e Pace cognoscitur, ubi secundo anno post priores Nubes peracto eadem res a Nostro affertur [31]). itaque cum neque ex his quidquam sequatur, quo freti hoc carmen priori fabulae addicendum censeamus, neque schol. Nub. 624 [32]) effici possit, ut id uni metecdosi attribuamus, de tribus his parabaseos partibus nihil certi constitui posse uidetur. posset profecto, si Fritzschium recte conclusisse

---

28) Buecheler l. l. p. 662 sq.

29) Fritzschius l. l. II p. 8 sqq.; Teuffel: Philol. VII p. 351 sq.; Buecheler l. l. p. 657 sq. qui uir Nub. 553 *παρείλκυσεν* non recte intellexisse uidetur. quae uis in hoc insit, uersus antecedentis uerba: *κολετρῶσ᾽ ἀεί* ostendere uidentur.

30) Aliter iudicauit Fritzschius l. l. II p. 9.

31) Pac. 414 sq.; Fritzschius l. l. II p. 9.

32) Buecheler l. l. p. 657.

iudicaremus, cum haec scriberet[33]): — ‚cum igitur epirrhema e primis Nubibus profluxerit, per se intellegitur, etiam antepirrhema eidem tempori ac fabulae attribuendum esse'. mutaremus enim nos hoc placitum in hunc potius sensum: ‚cum igitur epirrhema unis secundis Nubibus attribuendum sit, per se intellegitur e. q. s'. quam sententiam ut lectoribus comprobemus, de integro rem explanabimus, postquam sextae hypotheseos auctorem nobis non aduersari monuimus[34]).

### 4. *Epirrhema uni metecdosi attribuendum esse.*

#### a. Quomodo carmen intellegendum esse putemus.

Queritur autem Nubium chorus apud spectatores, ‚quod suae in ipsos beneuolentiae nullam sibi gratiam referant (576). quamquam enim nullus deorum maiori utilitati eis esset, tamen sibi solis sacra non fieri (577 sqq.). nam quotiens Athenienses expeditionem male sanam decreturi essent, sese tonitrua et pluuias mittere (579 sq.)[35])'. his autem omnia ipsarum in Athenienses merita enarrata sunt neque eis quae secuntur noui quidquam additur. sane haec: τὰς ὀφρῦς συνήγο-

---

33) l. l. II p. 8.

34) Cf. not. 13.

35) Non recte Teuffel: Philol. VII p. 349 uersum 579 ad certam quandam Atheniensium in agros hostium expeditionem rettulit. huic enim opinioni obesse uidentur pronomen indefinitum (ἢν γὰρ ᾖ τις ἔξοδος), tempora praesentia (βροντῶμεν. ψακάζομεν), coniunctio ἢ — ἤ, particula denique ἢν (579), quam praesentia tempora nisi generali sententia in apodosi posita sequi non solent.

*μεν κἀποιοῦμεν δεινά· βροντὴ δ' ἐρράγη δι' ἀστραπῆς* e. q. s. (582—86) diuersa uidentur ab antecedentibus illis *βροντῶμεν ἢ ψακάζομεν* (580). his enim cum ipsa tempestas uehemens describatur, in illis ea quoque exposita sunt, quae Nubium uelut hominum irae erumpenti antecedere consueuerunt (*τὰς ὀφρῦς συνήγομεν κἀποιοῦμεν δεινά*). quae dissimilitudo cum ad rem nostram nullius sit momenti et in utroque enuntiato haec communis sententia inesse uideatur, qua Nubes se tempestates excitando Athenienses a stultis consiliis reuocare dicant, VV. DD. errasse existimamus, qui Nubes *εἶτα* uoce nouum amici sui in Athenienses animi testimonium antecedentibus adiunxisse putauerunt[36]. immo haec particula aperte argumentum re probatum ad sententiam in uniuersum supra propositam ita adnectit, ut totus sententiarum filus facile hic sit: 'cum semper tutelam uobis praestemus et tempestates excitando ab insanis rebus uos reuocare studeamus, tum eo quoque tempore, quo Cleonem imperatorem electuri i. e. *ἔξοδον μηδενὶ ξὺν νῷ* facturi eratis, omnibus naturae prodigiis iratas nos esse propter illam insaniam ostendimus'. quapropter primum, si quis *εἶτα* particulae hanc significationem, quam tota sententia flagitat, subesse neget, is de alia interpretatione uix poterit cogitare, sed medicinam loco quasi corrupto ita afferre

---

36) Teuffel: Philol. VII p. 349 (qui locus tamen cum p. 346 initio conferendus est), edit. Nub. p. 99 not. ad u. 581; Buecheler l. l. p. 660; recte contra Ernestius: '*εἶτα* possis uertere uerbi exempli causa. seruit enim demonstrando quod fit commemorando'. quem secutus est Th. Kock in edit. Nub. 1862 ad u. 581.

debebit, ut pro εἶτα uel αὐτίκα uel εὐθὺς uel aliam similem particulam ponat. deinde uero de urbano Cleonis imperio hoc loco agi haud existimo [37]). neque enim propter uerba: ἦν γὰρ ᾖ τις ἔξοδος de ulla alia re cogitari poterit, quam de concilio, quo Athenienses exercitus quidem, quem in agros hostium mitterent, ducem Cleonem creaturi erant. neque denique propius ad uerum accessisse uidentur, qui paruum carmen in duas partes diuersis temporibus conscriptas dirimendum esse censuerunt [38]). nam cum tantum absit ut εἶτα uoce noui quidquam antecedentibus adiciatur, ut quae paullo ante uniuerse dicta sunt, ea certarum rerum ratione habita iterum proferantur, tam arta duarum illarum, quas nonnulli detexisse sibi uisi sunt, partium coniunctio existit, ut totum carmen uno calamo et inceptum et perfectum esse uideatur. iam uero quod ad lunam et solem atra nubium specie obscuratos pertinet, quoniam Teuffel recte intellexit [39]) nihil inde ad tempus accuratius describendum redundare, ipsi uideamus, utrum proecdosi an metecdosi epirrhema attribuendum sit.

### b. De tempore epirrhematis.

Atque qui illius quidem sententiae patroni extite-

---

37) Auctor huius opinionis est Buecheler l. l. p. 659 sqq.; cf. Teuffel. edit. Nub. p. 100; W. Ribbeck: Die Ritter d. A. p. 305.

38) Teuffel: Philol. VII p. 349.

39) Philol. p. 347 sq.

runt, ex eis alii[40]) de expeditione Pylia (Ol. 88, 3) alii[41]) de cura quadam urbana cogitauerunt, quam a Cleone Isarcho archonte (Ol. 89, 1) susceptam esse narrauerunt. sed illi quantopere errauerint, bene demonstrauit Teuffel[42]), hos cur non comprobemus ex eis, quae supra (p. 12) exposuimus, satis apparet. noster enim locus, quo solo illa opinio nititur[43]), ei non modo non patrocinatur sed etiam aduersatur. quapropter nihil iam reliquum est, nisi ut Cleonis imperium Thracium, quod ei archonte Ameinia (Ol. 89, 2) traditum erat, hoc loco ab Aristophane intellegi putemus. quam quidem sententiam iam dudum ante nos Teuffel[44]) protulit. sed hic, cum sibi ipse uanas molestias parauisset[45]), in editione fabulae abhinc quattuor annos curata uerum prope deseruit et coniecturae illi de urbano Cleonis imperio propositae uelificatus est.

### c. De causis aduersariorum.

Videamus autem, qui tandem factum sit, ut VV. DD. tantopere a uero aberrarent. uerebantur, opinor,

---

40) G. Hermann l. l. p. 15 cf. cum scholl. Nub. 580. 91; Fritzschius l. l. II p. 7 sqq.; Goettling l. l. p. 16, 2.

41) cf. not. 37.

42) Philol. VII p. 347 sq. p. 350 sqq.; Buecheler l. l. p. 659.

43) Buecheler l. l. p. 660: Aus dem Epirrhema der W. nun nehme ich ab, dass Kleon unter dem Archon Isarchos Stratege war.

44) Philol. p. 350 sqq.; Koechly l. l. p. 426 sqq.

45) Philol. p. 349 cf. cum 346.

ne absurdi esse uiderentur, si Aristophanem per quadriennium plusue temporis in retractanda Nubium fabula tanti fetus ingenium exercuisse statuerent[46]. nam si reuera expeditio illa Thracia hoc cantico significatur, epirrhema intra tempus, quod est post priores Nubes actas (Ol. 89, 1 mens. Elapheb.) et ante Cleonis mortem (Ol. 89, 3 mens. Metageitn.)[47], conscriptum est; parabasis autem ante Ol. 90, 2[48] non potest esse perfecta. deinde a nostra opinione VV. DD. refugerunt, quod uariis temporibus exiguum illud carmen conscriptum esse haud ueri simile esse uidebatur. tribuebant enim uersus a 575 ad 580 propter uerba *ὦ σοφώτατοι θεαταί* (575) proecdosi, uersus a 581 ad 594 propter Thracium illud Cleonis imperium metecdosi[49]. prior uero dubitatio VV. DD., priusquam de re ipsa satis explorauissent, subnata esse uidetur. sed cum nos poetam ita egisse iudicemus, ut ex ipsis fabulis sese offert, illa dubitatio apud nos quidem nulla erit, modo nostra de hoc carmine opinio a ceteris partibus tuta sit. altera autem dubitatio adeo non instat nobis, ut rationem illorum inanem esse facile explicemus. ueri igitur dissimile esse illis uidebatur paullo post Nubes priores exactas spectatores a poeta ita honoratos esse, ut eos, qui fabulam suam omnium sapientissimam (522) superiore anno explosissent, hac allocutione: *ὦ σοφώτατοι θεαταί* (575) dignos putaret[50]. sed cum

46) **Goettling l. l. p. 16. 2; Buecheler l. l. p. 663.**
47) **Fritzschius l. l. II p. 5, 5; Teuffel: Philol. p. 346, 1.**
48) **Buecheler l. l. p. 658.**
49) **Teuffel: Philol. p. 349; Buecheler l. l. p. 660.**
50) **Philol. VII p. 346, p. 349.**

demonstrari non possit Aristophanem tam stulta superbia elatum fuisse, ut, quod uni ex comoediis res male cesserat, omnes spectatores insipientes esse putaret, per se intellegitur poetam in fabulis conscribendis non tam ad eos respexisse, qui ob agrestem sensum sententias suas assequi non possent, quam ad eos, qui iustis animis omnes carminum facetias imbibere ualerent (526). quam ob rem licet Nubibus exactis si omnino sapientes spectatores Athenis esse putabat, poterat non modo sed debebat etiam, quotiens ad theatrum se conuertebat, eos adloqui, ad quos spectans fabulam composuerat. sed quae ei sententia de spectatoribus fuerit, ex certis fabularum locis intellegere licet. atque ut mittamus posterioris quidem aetatis fabulas, cum poeta a priore illa mente facile uideri possit recessisse, satis documento sunt Vesp. 1013 sq. in his spectatores appellat οὐ σκαιούς, cuius uocis uis non longe ab illo σοφώτατοι abesse uidetur. simili deinde ratione subsequente uersu quamuis acerbae dubitationis forma usus eos ex spectatoribus adloquitur, qui καθαρόν τι diligant. cum autem Vesparum fabula ipso primo post Nubes anno acta sit [51], certum nobis est Aristophanem istam de spectatoribus sententiam aut omnino non habuisse aut remisisse, antequam primus post illam calamitatem annus ad finem peruenisset. sed quod epirrhema nostrum, ut infra (cf. p. 23) explicabimus, eodem fere tempore quo Vespae conscriptum est, illud ὦ σοφώτατοι θεαταί ad definiendum carminis tempus nullo modo adhiberi potest.

---

51) Richter: prolegg. ad Vesp. edit. 1858 p. 28.

Attamen Eratosthenes, qui uir peculiarem librum de comoedia conscripsit, satis diserte carmen nostrum proecdosi tribuit [52]). nam apud schol. Nub. 552 miratur dubitare Callimachum de didascalicorum fide, quae Maricantem in Nubibus notatam tertio post Nubes anno doctam esse ferrent. quid enim inter doctam et retractatam Nubium fabulam interesset, iam ex Cleonis mentione (581), qui in Maricante ut mortuus commemoraretur, debuisse eum cognoscere. sed primum quidem non necesse est statuatur ad cognoscendam illam differentiam grammaticum aliis atque nos adiumentis usum esse. nam quod Maricantem in retractata fabula non in docta commemorari statuit, id necessario apparebat ex ea comoedia, quam nos hodie manibus tenemus, collatis inter sese notis didascalicis ad priores Nubes et ad Maricantem. quas etiamsi aliunde non habuerit cognitas, iam ex ipsis Callimachi uerbis potuit perspicere (schol. Nub. 552 ὅτι φέρουσιν κ. τ. λ.). atque duas omnino fabulas Nubium fuisse, quarum prior tantum docta esset, ex eisdem fontibus haurire licebat. neque enim alio modo dissolui posse uidebantur eae discrepantiae, quae inter metecdosin et notas didascalicas intercedebant. accedit quod facilis haec uia, qua difficultates pelleret, Eratostheni apparere debebat. neque enim consuetudinem, qua cum alii poetae tum Noster fabulas retractarent, poterat

52) **Totam hanc rem silentio praetermisere Th. Kock l. l. p. 26 sqq. et Teuffel in illa de epirrhemate disquisitione; cf. Buecheler. l. l. p. 659.**

ignorare. quae uero de ipso nostro loco tradit, ex eis non equitur ipsam proecdosin ab eo inspectam esse. nam cum e Maricante in parabasi notata (u. 553) cognoscere deberet secundam fabulam tertio post actam annonondum perfectam fuisse, neque ea, quae de Cleone proferuntur, nisi ante Ol. 89, 3 scripta esse possent, haec coniectura per se plus commendationis habebat, si epirrhema ad proecdosin referret, quam si poetam retractandae fabulae tam diuturnam operam tribuisse statueret. nostra autem cum sententia bene concinit ea ratio, qua Callimachum uituperat (*πῶς δ' οὐ συνεῖδεν κ. τ. λ.*). nam, si priorem fabulam manibus tenuisset neque solam rationem ad ea discernenda sufficere iudicasset, non poterat ita reprehendere Callimachum, quem una retractatione usum fuisse cognouerat. ut igitur in Eratosthenis uerbis nihil inest, quo eum ipsam fabulam priorem inspexisse putes, ita ex loquendi eius ratione elici posse uidetur, quod uel comprobet proecdosin Nubium eius oculis non subiectam fuisse. quamquam enim grammaticus ille de priore fabula ut oculatus testis sic refert: *λανθάνει δ' αὐτὸν ὅτι ἐν μὲν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτον εἴρηκεν,* miramur tamen, quod non eadem animi confidentia de metecdosi agit [53]), praesertim cum ueri sit simillimum eum hanc fabulam legisse. sed Eratosthenes non quaerebat certe, num illa Maricantis nota ad secundam fabulam pertineret, sed utrum ad hanc fabulam unam an etiam ad proecdosin referenda esset. neque tamen pro

53) **Schol. Nub. 552:** *ἐν δὲ ταῖς ὕστερον διασκευασθείσαις εἰ λέγεται, οὐδὲν ἄτοπον.*

certo hoc poterat cognouisse nisi perlecta utraque fabula. si uero perlegerat, nulli unquam dubitationi locum concedere poterat. quam ob rem unam tantum aut proecdosin aut metecdosin Eratostheni praesto fuisse ex hac dubia iudicii forma colligimus. itaque cum eadem uerisimilitate, qua eum metecdosin legisse iudicamus, proecdosin ab eo non inspectam fuisse concludimus. atque similiter senserunt Fritzschius et Enger [54]). ille postea [55]) ab hoc iudicio recessit, hunc, cum sententiam non ab omnibus partibus firmauisset, Teuffel [56]) facili negotio refutasse sibi uisus est. qui uir cum in plurimis recte contra Engerum egerit, eo tamen falsus esse uidetur, quod non intellexit re uera Eratosthenem subducta quidem ratione Callimachi errorem reicere. Engerum autem errasse putamus, quod una ex hac re continuo collegerat grammaticum priorem fabulam omnino non legisse. immo hoc tantum apparet nihil in eis inesse, cur necessario fabulam ab ipso inspectam fuisse statuamus. ad eam quam Enger inde hausit opinionem re uera probandam aliis etiam rationibus opus erat. quas si ne nos quidem protulisse uideamur, satis habebimus demonstrasse nihil in uerbis Eratosthenis inesse, quod eum proecdosin legisse aperte ostendat. iam uero quod cum illa grammatici sententia ipse noster locus pugnare uidetur [57]), concludimus Era-

---

54) Fritzschius: Quaestiones Aristophaneae p. 139; Enger l. l. p. 6.

55) l. l. IV p. 6.

56) Mus. Rhen. X p. 215 sqq.; Jahn. Annal. 69 p. 550.

57) Cf. supra p. 11 sq.

tosthenem erroneam de epirrhemate opinionem protulisse, ut nihil inde quidem impedimenti nobis nascatur.

### d. Quae nostrae de epirrhematis tempore opinioni uelificentur.

#### α. De Vesp. uu. 1284—91.

Exactis aduersariorum causis addemus nonnulla, quae sententiam nostram adiuuare uideantur. Vesparum enim uu. 1284—91 poeta narrat, 'se a Cleone tam male habitum fuisse, ut aliquantisper quidem, dum a spectatoribus desertum sese uidisset, uel adularetur uirum infestissimum. fraudem autem illi se fecisse (1291) nec ueram praebuisse sententiam'. ex his intellegimus primum quidem Aristophanem a Cleone nescio quam ob rem uexatum esse, deinde uero non eam Cleonis inuectionem hoc loco dici, quam poeta post Babylonios comoediam actam perpessus erat [58]. quodsi quaerimus, quo tandem tempore in hanc calamitatem inciderit, post Equites (Ol. 88, 2 mens. Gamel.) et ante Vespas fabulas actas (Ol. 89, 2 mens. Elapheb.) [59]) id factum esse oportet. cum autem causa, qua Cleonis ira excitaretur, aut in re nobis non cognita aut in ipsis quas Equitibus in eum effuderat calumniis posita fuisse debeat, posterior sententia uidetur esse praeferenda. nam quod scimus impetus, quos Babyloniorum fabula in Cleonem fecerat, singulos illos et per totam comoediam sparsos ab hoc non tacito animo

58) W. Ribbeck l. l. p. 304 sqq.
59) Cf. not. 51.

latos esse, quanto minus eum illas ignominias neglexisse arbitrabimini, quas tota Equitum fabula in eum congesserat? accedit quod, si ea, quae Equitibus in eum falso prolata erant [60]), Cleon tacite tulisset, haec uera esse debebant Atheniensibus uideri. iam uero cum fieri uix possit, ut Cleon illarum inimicitiarum poenas etiam diutius anno retinuerit, sequitur ex hoc loco poetam in priore fabula nihil animi infesti in Cleonem ostendisse. itaque epirrhema, si proecdosi tribuitur, cum unum illi sententiae obstet, ab ea cum summa fere iudicii necessitate remouendum est, praesertim cum proecdosis facile ea fabula esse possit, quam poeta his uerbis denotat: ταῦτα κατιδὼν ὑπό τι μικρὸν ἐπιθήκισα (1290). est haec Droysenii [61]) coniectura ualde uerisimilis, cum Socratici illi καλοί τε κἀγαθοί (Nub. 101) Cleoni popularis aurae captatori inimici esse debuerint. neque officit nobis Vesp. 1037, in quo illud μετ' αὐτοῦ pro μετ' αὐτόν facillimum librariorum errorem prodere uideatur [62]). —. nunc demum percipimus, quam uere Noster Nub. 550 de se prolocutus sit: tacuerat enim profecto de Cleone ex Equitum temporibus, quam diu uir uictus iacebat; postea autem, cum denuo propter fortunam quasi illucesceret

60) G. Droysen: Des Arist. Werke übersetzt. 1869 II p. 92.

61) l. l. p. 9.

62) Illud αὐτοῦ iam Bentleius correxit. aliter iudicatum est ap. Meinek. Com. II 2 p. 1115. ibi uero quae de tempore Holcadum enarrantur, ea facile ex falsa interpretatione Vesp. 1037—43 profluxerint, quos uersus cum omnibus fere interpretibus ad Nubes priores non ad Holcades referendos esse putamus; cf. Fritzsch. l. l. I p. ,16 1.

(Vesp. 62) et rei publicae maximeque rebus in Thracia gerendis operam nauare coepisset, Aristophanes, quem ut uatem certissimi auspicii praeuidisse apparet, quantum mali ille ciuitati inlaturus esset, ueterum inimicitiarum partes fortiter recepit.

β. De Nub. uu. 587—94 collatis cum Thuc. V. 3 et 6.

Restat ut argumentum enarremus, quod hoc epirrhema suppeditat. putamus enim res in hoc cantico enarratas bene congruere cum eis, quas Thucydides de illo bello tradidit. negat sane hoc Buecheler[63]; sed quod desiderauit, ut Athenienses eum e Thracia reuocare iuberentur, id u. 591 sq. continetur; nam si non reuocassent, sic de eo statuere non poterant. quod autem negat ante transactum imperii delati annum iussurum illud fuisse poetam, non recte comici de Cleone iudicium perspexisse uidetur. Nubes enim timentes, ne per Cleonem Athenienses in magnas calamitates ducerentur, iratae erant, quod imperator factus esset (581 sqq.), et cupere debebant, ut quam celerrime, dum liceret impunitis, ciues eum reuocarent. deinde uero quamquam concedimus res Thracias non fuisse eas, ut iuste Cleon repetundarum posset accusari, tamen tenendum est poetam loqui non historicum atque eum, qui e. c. Equitum multis locis demonstrauerit, quam facile ira semel concepta ad res etiam falso narrandas progrederetur. quid uero si Cleonis insimulationi hic fere sensus subsit: ‚reuocate Cleonem omni modo licet causa ueri dissimili adiecta'? potuisse enim Athenienses quemuis imperatorem ex quauis

63) l. l. p. 660.

regione reuocare cum in libera ciuitate per se probabile sit, tum illo loco Equitum [64]) demonstratur, ubi ipso Cleone auctore similiter eos egisse narratur. immo auxiliari potius illos uersus (587—94) nobis existimo. dicit enim Aristophanes ‚inesse in ciuibus secundum prouerbium rationem non sanam, sed deos ad meliorem partem uertere, quae illi peccauerint. ita in praesente quoque re futurum esse, ut supplicio de Cleone sumpto uetus ciuitatis fortuna redeat'. βέλτιον autem comparatiuum (589. 594) interpretes ita positum esse putauerunt, ut respiceret ad miseram illam condicionem, in quam ipsi Athenienses sese insania sua ducerent. quod si uerum esset, haec nasceretur sententia: ‚uos insana consilia sequimini, sed dei efficiunt, ut euitatis malis, quae cum leuitate animi uestri coniuncta esse debent, eum ciuitatis statum recipiatis, quo ante consilia inepte inita utebamini' [65]). sed maior in hoc comparatiuo uis inesse uidetur. nam hoc Minerua contra Poseidonem Atheniensibus bonum dederat, ut etiamsi malis consiliis ad res gerendas accederent, nihilo tamen setius eas ad uoluntatem perficerent [66]). itaque haec sententia uu. 591—94 enarrata est: ‚si Cleonem quamlibet ob causam satis grauem ab illo bello reuocaueritis, ut antea ita nunc quoque pec-

---

64) u. 262 sq.

65) Hoc Teuffel sensisse uidetur, qui in Philol. VII p. 350 hanc Suidae notam: *'Αθηναίων δυσβουλία ἐπὶ τῶν παρ' ἐλπίδας εὐτυχούντων* (cf. G. Hermann. p. 302 not. ***) ex falsa loci nostri interpretatione fluxisse iudicat.

66) Schol. Nub. 587 cf. cum Suidae uerbis sub nota 65 laudatis.

catum uestrum u e l usui uobis erit'. ipsa autem hac bona fortuna factum erat, ut Cleon initio belli Thracii Toronam et Galepsum expugnaret, id quod etiam Thucydides [67]) satis diserte indicat. per deos igitur ait Aristophanes, qui ipsorum fortunae auctores essent, fore ut illud βέλτιον Atheniensibus eueniret, si reuocarent Cleonem; si non reuocarent, fore ut et oppida expugnata amitterent et mala insuper multa eis obtingerent.

Itaque ex ipsis poetae uerbis canticum nostrum post Nubes priores conscriptum esse sequitur (cf. supra p. 11—13), et cum alia testimonia cum hac sententia bene concinant (cf. p. 19—23), illud tempus ita accuratius describere licet, ut paullo post nuntiatas illas quas Cleon ad Toronam et Galepsum feliciter gesserat res carmen perfectum esse dicamus. quae oppida cum paullo post aestatem Ol. 89, 2 expugnarentur, canticum eodem fere tempore elaboratum est, quo poetam Vespis perficiendis operam dedisse iudicare debemus. uidentur autem illo tempore Atheniensium animi propter bonam fortunam belli denuo ad Cleonem conuersi fuisse, cum in Vespis quoque ante u. 1284 simili ratione in eum facile inuectus sit [68]). itaque poeta ut Equitum tempore sic tum quoque his contumeliis opus esse putabat. — . quodsi hanc cantici aetatem cum parabasi propria conferimus, re uera uariis temporibus poetam retractandis Nubibus operam dedisse apparet. quam ob rem scholiasta ad Nub. 591 erroris

---

67) V. 3. med.; V. 6.

68) Haec est Bergkii coniectura apud Mein. Com. II p. 938.

non debuit accusari [69]). quapropter cum constare uideatur epirrhema uni metecdosi addicendum esse, proecdoseos autem epirrhema totum interierit, neque quidquam certi de eo possit exponi, totius nostrae de parabasi disquisitionis summa haec est: remansere e proecdosi uu. 510. 511, possunt remansisse uu. 563—74, 595—606, 607—26, uni metecdosi dandi sunt uu. 512—17, 518—62, 575—94.

---

69) Sic egit Buecheler l. l. p. 663, quamquam scholiastae sententia etiam alio modo comprobari posse uidetur. putamus enim prologum Nubium post Auium tempora retractatum esse. nam et cum fabulis prioris aetatis et cum posterioribus ei similitudo intercedit. atque ad Acharnenses et Equites eo maxime accedit, quod ea res, e qua tota argumenti expositio pendet, in ipsa scaena et cogitatione suscipitur et opere perficitur (Nub. 75 sqq. cf. cum Ach. 129 sqq. Equit. 143 sqq.; Nub. 1 sqq. cf. cum Ach. 1 sqq. Equit. 1 sqq.; Nub. 40 sqq. 60 sqq. cf. cum Ach. 42 sqq. Equit. 40 sqq.). nam in Vespis Bdelycleonem illum iam ante fabulae initium inclusum fuisse iudicare debemus, et in Pace Trygaeus iam ante fabulae initium de itinere ad Iouem faciendo cogitauit, et similiter in omnibus recentioris aetatis fabulis a priore illo usu recessit. sed etiam cum fabulis posterioris aetatis Nubium prologo nonnulla communia sunt: primum enim ut in illis sic in eo uersus ad ipsos spectatores pronuntiandi desunt, qui praeter Acharnenses in omnibus prioribus comoediis inueniuntur (Equit. 36 sqq.; Vesp. 54 sqq.; Pac. 50 sqq.; Au. 30) deinde uero in omnibus fabulis, quae eiusdem fere atque priores Nubes temporis sunt, primi cuiusque comoediae uersus per dialogum proferuntur. atque in hac re poeta sic egisse uidetur, ut a monologo, quem etiam in Acharnensibus habemus, per Equites, in qua quinque monologi uersus dialogus sequitur, ad dialogi formam transiret. certe in Vespis, in Pace, in Auibus dialogum habemus, cum in posterioribus fabulis

Quem autem locum parabasis in priore fabula tenuerit quidque de uu. 491—509 et 627 sqq. statuendum sit cum Buecheler[70]) iam recte indicauerit, ad alteram scaenam transeamus, quam hypotheseos sextae auctor prorsus mutatam esse dixit. continentur autem ea:

## II. Iusti et iniusti oratorum iurgia.

### 1. *VV. 889—1104 unam ad metecdosin pertinere.*

a. De uu. 527—36.

Hac de fabulae parte (889—1104) uerum ab illo tradi duabus rationibus cognoscimus. nam e parabaseos uu. 527—36 sequitur unam aliquam metecdoseos scaenam de integro elaboratam esse, quae quidem summam Daetalensium similitudinem sectaretur. poeta enim ‚quamquam uos, inquit, stulte me prodidistis (520—26), tamen ne ita quidem ego uos deseram (527). quod eo magis promittere possum, cum[71]) non ignorem, quae uobis placeant, postquam prima ex fabulis meis uobis accepta fuit[72]).

---

certa compositionis lex inueniri non posse uideatur. quapropter in prioribus Nubibus et uersus illos ad ipsos spectatores pronuntiatos extitisse et prologum per dialogi formam expositum fuisse indicamus, quorum utrumque poeta in retractatione mutaret, cum totam naturam compositionis priorum fabularum seruaret. illa duo autem cum etiam in Auibus occurrant, non possumus quin prologum nostrum post hanc fabulam i. e. post Ol. 91, 2 retractatum esse censeamus.

70) l. l. p. 673 p. 670.

71) Hanc uim hoc loco in particula ‚γὰρ' inesse arbitramur.

72) Cf. uu. 528 sqq. 533; scholiasta ad u. 533 et satis

itaque haec nunc comoedia ad modum Electrae illius uenit quaerens, num futurum sit, ut in spectatores aeque cordatos incidat atque ea, quam principem ex omnibus meis fabulis docendam curaui (534 sq.). cirro autem fratrem cognoscet (536)'. iam quaeritur, cur poeta hanc fabulam cum Daetalensibus consanguinea quadam affinitate prae ceteris coniunctam esse dixerit. atque omnes fere VV. DD. censuerunt: quod Nubes et Daetalenses totae sibi essent simillimae[73]). totarum uero fabularum similitudinem hoc loco a poeta non intellegi inde sequitur, quod poeta, si etiam proecdosi haec totius fabulae cum Daetalensibus similitudo fuisset, sperare non poterat metecdosin propter ipsam hanc similitudinem spectatoribus gratam fore. immo singularis quaedam noua pars a poeta addita esse debet, cuius cum Daetalensibus similitudo ipso primo adspectu cognosceretur et poetae spem uictoriae faceret. quae loci nostri interpretatio si non uera esset, non poterat omnino dubitare (535), num uicturus esset, sed a principio timere debebat, ne spectatores metecdosin eadem sententia exploderent, qua exploserant proecdosin. accedit quod poetam, si noua non addidisset, multo infestius quam in nostra et Vesparum parabasi contra spectatores inuecturum fuisse ueri simile est, quippe qui, quod in Daetalensibus laude dig-

---

uagam sententiam subesse putauit. bene Kock l. l. p. 11: Ich besitze von Euch (παρ' ὑμῶν) ein Unterpfand Eures guten Geschmackes.

73) Teuffel: Iahn. Annal. 69 p. 557; Buecheler p. 681; rectius egit Koechly p. 418; cf. Kock. p. 31.

num esse censuissent, idem in Nubibus prauo iudicio repudiassent [74]).

### b. De uu. 889—1104.

Cum ex eis, quae adhuc disputata sunt, illud quidem constet nouam aliquam partem a poeta in proecdosi corrigenda scriptam esse, quae eximiam Daetalensium similitudinem prae se ferret, tamen ea, quae ex Daetalensibus restant, tam exigua sunt, ut certa argumentatione confirmari non possit, quae maxime Nubium pars cum Daetalensibus congruat. credamus igitur auctori nostro, praesertim cum ipse quem dicit Nubium locus certa retractationis uestigia praebeat. praeter rationem enim in fabulis ueteribus uulgarem duo chori cantica desunt, quibus intercedentibus actores Socratis et Strepsiadis personarum uestimenta deponere (889) et post oratorum iurgia (1105) possint recipere. et prius quidem canticum, quod libri optimae notae ΧΟΡΟΥ uerbo indicant, G. Hermannus [75]) recte negauit a poeta omnino elaboratum fuisse; posterioris autem cum eadem condicio esse uideatur, haec duo cantica non ob aliam causam deesse probabile est, quam quod poeta deletis prioris fabulae uersibus iustum nouae scaenae cum ceteris conexum non restituit [76]). omni autem dubitatione haec exempta sunt, quod ei uersus, qui

---

74) Non recte Teuffel in Iahn. Annal. p. 557 haec scripsisse uidetur: Er macht also seinem Publicum den Vorwurf der Inconsequenz.

75) Nub. ed. praef. p. 20.

76) Fritzschius l. l. I p. 12; Teuffel: Philol. VII p. 335.

oratorum colloquium secuntur, comprobant hanc scaenam e mutato prioris fabulae consilio originem duxisse. multarum enim magnarumque difficultatum, quae inter utrumque locum intercedunt, nullum aliud remedium adhuc apparuit, quam ut uersus subsequentes maxime dissentientes cum hoc loco, qui a priore fabula abesset, a poeta non deletos esse existimemus. quales autem sint illae difficultates, cum a Fritzschio et Teuffelio[77]) satis enarratae sint, summam illorum disquisitionis repetamus. statuerunt enim uu. 1105—30 proecdosi adscribendos esse. qui quod a poeta non deleti essent, factum esse, ut in hunc locum per principem fabulae editorem peruenirent. eum intellexisse carmen choricum deesse, sed una cum cantico (1114—30) antecedentes octo uersus (1105—12) in prioribus Nubibus cum hoc cohaerentes sententiarum nexu neglecto huc tulisse.

## 2. *Quae sententiae in proecdosi pro oratorum iurgiis enarratae fuerint.*

Inuestigemus autem, quae sententiae pro iurgiis oratorum in priore fabula expositae fuerint. nam haud paucos uersus de prioribus Nubibus deletos esse, quorum in locum haec scaena succederet, Teuffel[78]) cum aliunde tum e numero uersuum totius fabulae cum ceteris comparato recte collegit. atque prae ceteris uu. 1105—12 considerabimus.

---

77) Fritzschius l. l. I p. 12—14; Teuffel: Philol. p. 333 sqq.
78) edit. Nub. p. 34.

### a. De uu. 1105—12.

Qui cum de proecdosi supersint, in qua patris post institutionem filius quoque in disciplinam Socraticorum actus esse uidetur, recte VV. DD. hoc prioris et posterioris fabulae discrimen fuisse iudicauerunt, quod in priore fabula ipse Socrates Pheidippidem docendum suscepisset, in posteriore eum ex illis oratoribus utrum uellet magistrum sibi eligere iuberet (886. 938 sqq.). sed errasse Fritzschium et Teuffelium, cum his uersibus (1105 sqq.) u. 881 exceptum esse iudicarent [79]), Buecheler [80]) demonstrauit, qui examen Pheidippidis a Socrate institutum u. 1105 antecessisse probabiliter coniecit. inde etiam factum esse, ut Socrates interrogationem illam u. 1105 sq. proloqueretur.

### b. De uu. 783 - 889.

Itaque cum in priore fabula Socrates Pheidippidem docuisse uideatur, dubitari potest, num unus Socrates eum instituerit. nam Strepsiades in fabula nostra e schola Socratica exigitur, quod, quae modo memoriae imbiberit, ea paullo post obliuiscatur. sed Teuffel recte adnotauit [81]) eam causam, propter quam Socrates a senis institutione recedat, cum indole Strepsiadis, quam e cetera fabula intellegimus, minime congruere. nam quia Strepsiades paullo ante egregias seueri magistri laudes

---

79) Fritzschius l. l. I p. 14; Teuffel: Philol. p. 342.
80) l. l. p. 672.
81) In edit. Nub. ad u. 785.

meruit (757. 773), non percipimus, cur mox non modo hariolationis atque debilis memoriae arguatur sed etiam e schola eiciatur (783), licet tertium eius responsum (779 sq.) neque facetiis neque rei ipsi quam praeceptor proposuit explicandae minus prioribus (749 sqq.; 766 sqq.) inseruiat. ex his iudicare debes poetam ad priores scaenas ita nouas adiunxisse, ut totius fabulae conexus turbaretur. quamquam enim etiam in sequentibus bis (787 sqq.; 855) de infirma Strepsiadis memoria fit mentio, tamen aliis locis senem satis bona naturae indole esse ostenditur. atque paullo postquam tabernaculum philosophorum reliquit quasi praeceptor doctrinarum Socraticarum filio philosophorum sententias explicat (828 cf. cum 380; 847 sqq. cf. cum 662 sqq.) et ipsa illa interrogatione, ad quam Socrati respondere non poterat, Pasiam creditorem deturbat (cf. 1248 sqq. cum 787 sqq.). haec cum Aristophanes in eadem comoedia non possit conscripsisse, in retractationis uestigium incidisse nobis uidemur. nam uu. 747—82 bene congruunt et cum uu. 814—38 atque 843 sqq. et cum eis scaenis, in quibus Strepsiades doctrinis philosophicis creditorum impetus propulsat. his omnibus apparet Strepsiadem satis bona naturae indole praeditum esse, qui non modo in percipiendis rebus philosophicis felices progressus faciat, sed quae semel perceperit etiam haud infirma memoria teneat. huic autem senis imagini aduersa fronte obstant uu. 783 sqq., quibus Strepsiades ut homo tardo et agresti ingenio depingitur, qui neque uerba rebus commoda facere (783 ὑϑλεῖς) neque praecepta magistri memoriae possit infigere (785 sqq.). quapropter ne offendamus contra sententiam, qua auctor

hypotheseos sextae summam argumenti in metecdosi mutatam esse negat [82]), uu. 783—804 uni posteriori fabulae adiudicandos esse censemus. neque uero hos uersus omnes sub eadem lege ponere dubitamus, cum sententiarum nexu artissime inter se cohaereant. uu. 783—90 enim exponitur, qua de causa Strepsiades a disciplina philosophica remoueatur, uu. 790—804 autem, in quam necessitatem ipsa remotione peruenturus sit. haec iam sententia, qua unis secundis Nubibus uu. 783—804 adsignamus, eo confirmatur, quod Aristophanem in hac comoediae parte corrigenda occupatum fuisse aliunde quoque probabiliter colligitur. carmen enim choricum, quod Strepsiadem de scaena decedentem sequitur (805—12), Teuffel et Buecheler [83]) recto iudicio in eum, quem nunc habet, locum quadrare negauerunt. genuinum locum in priore fabula post u. 456 uel ante u. 476 habebat. iam uero cum in eo de quo dicimus loco chori canticum omnino defuisse non possit, quod scaena, postquam Socrates et Strepsiades abierunt, personis uacat, sequitur illud carmen aut deletum prorsus aut in aliam fabulae partem transmissum esse. nam si adfuisset carmen, uix possemus cogitare, quo modo nostrum canticum (805—12) hoc loco poni potuisset. poetam autem illud non aliam ob causam remouisse apparet, quam quod ad nouam scaenam id iam non quadrare intellexerat. cum autem in ipsa docta fabula pronuntiatum esset, si noua non inserta fuissent, quadrare debuerat.

---

82) Sic enim scripsit: *Τοῦτο ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ.*
83) Teuffel: Philol. VII p. 330 sqq.; Buecheler l. l. p. 666.

Quodsi uu. 783—804 uni posteriori comoediae attribuimus, in priore fabula Strepsiades propter aliam causam a magistro dimissus erat, quae quidem ab ea, quam hodie legimus, prorsus diuersa fuisse debet. nam si leuiter destitit a posteriore fabula, non intellegimus, cur poeta nouam eamque a toto comoediae argumento maxime alienam inculcare et carmen illud choricum, cuius locum nunc uu. 805—12 tenent, delere maluerit quam omnia seruare integra. cum uero in eadem fere prioris fabulae parte Strepsiades philosophorum scholam reliquisse uideatur, ueri simile est choreutas illo carmine senem de scaena decedentem prosecutos esse; itaque si ibi quoque discipulus domum reuertisset propter causam ab hac non prorsus discrepantem, praetulisset certe Aristophanes leuibus mutatis carmen ad noua accommodare, quam ut omne de eo loco auferret. accedit quod ex eis uersibus, quos proecdoseos esse censuimus, ne minime quidem apparet, qua de causa Strepsiades ex schola Socratica exturbatus sit. quapropter conicimus in priore fabula Strepsiadem omnia exercitationis philosophicae stipendia emeruisse. nam post egregias illas magistri laudes (757. 773) uix ulla causa inueniri potest, ob quam senex scholis exactus sit. de Strepsiadis ingenii natura ea nullo certe modo deprompta fuisse potest. deinde ei uersus, qui postremam institutionis scaenam excipiunt certoque iudicio proecdosi attribuuntur (cf. p. 30 sq.), senem tanto gaudio elatum (814 sqq.) et totum in laudibus magistrorum (833 sqq.) ostendunt, ut haec in eum tantum conuenire possint, qui consilia bene perfecerit, non in eum, qui de fortunis maxime sollicitetur.

hac cum sententia pugnare uidentur, quae supra (p. 29) professi sumus: Pheidippidem ad Socratem a patre ductum fuisse. nam si Strepsiades re uera quae uolebat perfecisset, non erat quod filius a philosopho quoque doceretur. cuius discrepantiae dissoluendae cum plures facile rationes cogitari possint, satis habebimus eam exponere, quae maxime probabilis esse uideatur. pater igitur postquam e disciplina Socratis ut perfectus philosophus egressus est (cf. 823 sqq.), apud filium nonnulla nouae sapientiae specimina effundit. sed cum in ipsa artium illarum redintegratione intellegat multa se et fortasse ea ipsa quibus creditores propulsare uellet (cf. 746 sqq.), oblitum esse, mittit filium, qui ea quae ipsum effugerant cum firmiore memoria a Socrate repetat. hic sententiarum progressus iam per se probabilis confirmatur eis, quae proecdosi uindicauimus. nam primum quidem debili Strepsiadis memoriae, de qua in priore quoque fabula alicubi dictum fuisse uidetur (129. 483. 630 sqq. 785. 855), multo commodior locus est, ubi pater filio Socratis doctrinas enarrat quam in ipsa institutionis scaena. deinde hac ratione filii obsequium (865) cum superiore eius pertinacia (108 sqq. 119 sqq.) [84]) eleganter congruit.

---

84) Non recte Teuffel in edit. Nub. p. 39, 29 et Kock l. l. p. 33 sq. un. 105 sqq. et 110 sqq. in eadem fabula extare potuisse negauerunt. nobis quidem haec ita placent, ut si deessent, repetitionem obsecrationis etiam desideraremus. neque enim si poeta aliter egisset, intellegeremus, quid Strepsiadi accidisset, qui in re tam graui primo impetu a filio se reici pateretur. ceterum qui accuratius locum considerauerit, omnia bene se habere perspiciet. nullam inueni-

nam ut uu. 839—42 et 860—64 in prioribus Nubibus non fuisse Koechly[85]) recte intellexit, ita post uu. 80—120 patrem precibus quidquam a filio impetrasse cogitari non potest. si uero nihil impetrauit, Pheidippidis illa summa pertinacia (80 sqq.) et procliuis posterior oboedientia uix possunt coniungi, nisi Aristophanem errorem commisisse statueris. nostra autem coniectura efficitur, ut ipsa Socratis doctrina exposita filius a superiore de philosophis opinione recedat et leuiter tantum a patre commonefactus eius sententiam prompto animo amplectatur. accedit quod u. 852 filius quodam modo ad honorem Socratis inclinat, quo minus miremur, quod is, qui initio fabulae philosophis infestissimum se praestitit, u. 1467 ne iniuriam eis inferat recusat. quapropter cum sana mente p o t e s t cogitari Pheidippidem in eadem fabula et a patre et a Socrate institutum esse. si uero p o t e s t, d e b e t etiam cogitari, ut eas quas exposuimus interpretationis molestias effugiamus.

Sed si probauerimus Strepsiadem in priore comoedia a Socrate ut discipulum bene instructum decessisse, u. 854 sqq. non sic in proecdosi legebantur ut leguntur in metecdosi. neque enim poterat senex aut dicere de memoriae infirmitate (855), priusquam spectatores eam ipsa re cognouissent, aut a filio petere, ut ad Socratem se conferret,

---

mus languidam iterationem. non enim u. 108 sqq. Pheidippides recusationis causam addit, quam legimus in u. 119, et sanus in precibus progressus a dulcibus adulationibus ad seuerum patriae potestatis imperium cognoscitur (cf. 110 cum 86 sqq. et cum 106 sqq.)

85) l. l. p. 428.

priusquam declarasset, et cur peteret, et quid Pheidippidi apud illos agendum esset. ei uersus, quibus haec enarrata erant, ante u. 854 interierunt. uersus autem 884—88 Koechly recte spurios esse iudicauit, qui fabulae principi post Aristophanis mortem editori tribuendi essent. sed debebat uu. 882 sq. eis addere, qui neque cum prioris fabulae consilio concinunt, quo Pheidippides iniustam causam memoriae imbibere iussus esse uidetur (116 sqq. 1107—1111), neque cum oratorum altercatione, qua non tam hoc effici uoluit poeta, ut adulescens utriusque oratoris rationem edisceret quam ut alterutri erudiendum sese traderet (930—33, 938 sqq., 990, 1000). iam uero si quis nostram illam coniecturam probauerit, is non dubitabit totum fere hunc locum (854—88) uni metecdosi attribuere, ita tamen, ut nonnullae sententiae (856—59, 868 sq., 877—80) e proecdosi remansisse possint. certe quidem ea quae Pheidippides infesto animo contra Socratem pronuntiat (870), in prioribus Nubibus fuisse non possunt. quam ob rem etiam uu. 871—76, cum a u. 870 dirimi uix possint, e priore comoedia relegandi sunt. ei uero loci, qui iam in acta fabula fuisse possunt, aliam in hac uim habebant aliam in retractata, ueluti uu. 868 sq., quibus nunc quidem intellegimus, cur non ipse Socrates Pheidippidis doctrinam suscipiat, in docta fabula illud adulescentis examen (cf. supra p. 29) excitatum esse uidetur, quo, licet patre filii mores maxime laudante (877—81), ipse magister cognoscere uellet, quid bonae indolis in ingenio noui discipuli inesset. uersus 856—59 uero eam forsitan scaenam secuti sint, qua Strepsiades se nonnulla e Socratis doctrinis oblitum esse intellexerat.

Restat ut, quales fere sententias in proecdosi pro illo oratorum iurgio positas fuisse putemus, in unum nunc locum congeramus: post scholas igitur philosophas feliciter finitas Strepsiades sub laudibus chori domum abscedit, ubi apud filium res modo perceptas profundit (820—38, 847—53). sed cum ipso hoc negotio multa maximeque illa, quibus creditores pelleret, oblitum se sentiat, adit Pheidippidem, ut, qui propter iuuentutem meliore utatur memoria (129), illa a Socrate repetat. morem gerit filius patri non admodum inuitus, cum propter doctrinas a parente expositas res non uanas a philosophis tradi cognouerit (852). Socrates a Strepsiade ex aedibus euocatus, cum exposita noua aduentus causa propter nobilem filii speciem dubitet, num ingenio ad philosophiam apto utatur (868 sq.), quamuis patre bonam filii naturam laudante (877—81) tamen cognitionem instituit, qua ipse percipiat, num pater uerum professus sit. Pheidippides autem etsi bonas mentis facultates praebet (1111), aperta tamen indicia luxuriosae prioris uitae ostendit. quam ob rem Socrates illam u. 1105 sq. interrogationem recte enarrat et Pheidippides postquam suis oculis res philosophorum inspexit, rursus ueretur, ne ipsius genae mox umbraticorum hominum colorem referant (1112). in cetera scaenae subsequentis expositione ad Buechelerum [86]) accedimus. qui cum recte carmen illud chori, quod Strepsiadem domum redeuntem sequebatur, parabasin fuisse coniecerit, uu. 510 sq. (*τῆς ἀνδρείας εἵνεκα ταύτης*) ad eam quam senex re uera satis magnam uirtutem in institutione praebuerat spectant.

86) l. l. p. 675.

Negamus igitur errasse Koechlyum, cum ab ipso Strepsiade Pheidippidem in priore fabula doctum esse statueret [87]), quamquam eae causae, quibus hanc sententiam in p. 426 defendit, ne nobis quidem [88]) probatae sunt. sed errauit aperte uir doctus, cum in proecdosi Pheidippidem a Socrate omnino non doctum esse statueret. quo factum est ut etiam uu. 1105 sqq., qui illam sententiam redarguunt, satis cupide principi fabulae editori tribuerit [89]). sed refutant praeterea illum uu. 1187—1212, in quibus filius patris magister inducitur. hos quidem uersus uni metecdosi tribui non posse inde apparet, quod nihil ibi legitur, quo a proecdosi dissentiant, neque Athenaeus neglegendus est, qui uersus 1196—1200 priori comoediae adscribit [90]). obstat denique, nisi ad argutias confugeris, illi opinioni etiam u. 1467. qui, cum ab ipso uiro docto proecdosi adiungeretur (p. 429), satis ei demonstrare debuit re uera Pheidippidem in illa comoedia Socratis consuetudine usum fuisse.

De hac re cum satis disseruisse nobis uideamur, restat tertia pars, quam auctor sextae hypotheseos denuo elaboratam esse dicit. ea uero agitur:

## III. De meditatorii Socratici incendio.

### 1. *VV. 1475 – 86 1490—98 1502—10 uni metecdosi adsignandos esse.*

Ex eis igitur qui de hac scaena scripserunt, Goett-

87) l. l. p. 425 sqq.
88) Cf. Buecheler. l. l. p. 683.
89) Refutauit hanc opinionem Buecheler p. 675.
90) Athen. IV p. 171 c; cf. Fritzschium IV p. 7.

ling omnium minime uerum cognouisse uidetur. nam primum minus obseruauit, quid illud ἥμειπται hypotheseos sextae ualeret aut quid inter διασκευήν et διόρθωσιν interesset. etenim si poeta re uera non tam totam hanc scaenam elaborasset nouam quam singulas personas mutauisset, non illud ἥμειπται huc referri poterat sed potius διόρθωσις, quam hypotheseos auctor his uerbis significat: τὰ δὲ — ἐν τῇ τῶν προσώπων διαλλαγῇ μετεσχημάτισται [91]). deinde uero uir doctus in describendo exitu prioris fabulae adhibuit coniecturas, quae nullo ueterum testimonio fulciantur [92]). idem tamen hunc locum ab Aristophane plane perfectum esse et cum antecedentibus artissimo sententiarum nexu cohaerere contra Teuffelium et Koechlyum bene constituit [93]). qui uiri hypotheseos auctorem sua sibi ratione assequi posse uisi sunt, quia exitus comoediae nostrae et prioris fabulae frustula et lacunarum atque condicionis non perfectae apertam speciem praeberet. sed melius fecissent, si in ratione Fritzschii [93a]) acquieuissent, qui scaenam nostram plane retractatam esse dixit. adsentimus igitur Buechelero [94]), qui et illorum opiniones iusta loci interpretatione refutauit et ipsius Fritzschii atque Beerii [95]) de Chaerephontis in hac scaena partibus sententiam recte exegit.

---

91) Teuffel: Mus. Rhen. X p. 228.
92) Goettling l. l. p. 15 et p. 30.
93) Teuffel: Mus. Rhen. X p. 233; Koechly l. l. p. 429.
93a) l. l. I p. 16.
94) l. . p. 677.
95) Fritzschius I p. 19; Beer: Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes p. 117.

idem deinde, quomodo u. 543 cum hypotheseos sextae auctore conspirare posset, e u. 544 bene explanauit [96]), retractationisque initium neque ante u. 1465 neque post u. 1482 esse merito statuisse uidetur. artioribus uero finibus hoc ita circumscribere licet, ut nouam partem ueteribus intra uu. 1465 et 1477 adiunctam esse dicamus: nam cum posteriorem comoediam ea quoque re a priore differre uerisimile sit, quod in acta quidem Chaerephon in ipsam scaenam productus sit in posteriore autem uerbis tantum eius fiat mentio [97]), intellegimus, quo modo et u. 1465 ad priorem quidem fabulam respiciat et facile pro retractationis indicio haberi possit, quod u. 1477 de Chaerephonte tacetur. quapropter u. 1475 ipsi nouae ad ueteres scaenae adnectendae inseruire bene uir doctus coniecisse uidetur. neque tamen possumus amplecti eam sententiam, quae in his eius uerbis (p. 676) inest: 'Der vorurtheilsfreie Leser wird nirgends eine Lücke, einen Mangel der Composition entdecken, der eine zweifache Bearbeitung verriethe'. nam cum nobis quoque persuasum sit poetam exitum fabulae plane retractasse, Fritzschium [98]) tamen cautius haec protulisse existimamus: — 'quamuis Aristophanes nouam scaenam ipse absoluisset, princeps tamen editor — hic quoque — potuit — utrasque Nubes confundere'. nam hanc uiri docti dubitationem comprobari posse iudicamus.

---

96) Adiuuatur Buecheleri sententia his praeterea locis: Vesp. 55 sqq.; Pac. 739 sqq.; Ran. 1 sqq.

97) Cf. Teuffel. in Nub. edit. p. 35.

98) l. l. I p. 17.

### 2. *uu. 1487—89 1500 1501 proecdosi adsignandos esse.*

Clausula autem τὴν οἰκίαν, quam et u. 1484 et 1489 legimus, dubitationem nobis facit, num uu. 1487--89 hoc loco ferri possint. repugnant enim praeterea non minus antecedentibus quam subsequentibus. nam quamquam aptum comburendis aedificiis asciae et scalarum usum cogitari posse concedimus (1485 sq.), ut tegulis trabibusque solutis facilior flammae facultas efficiatur, tamen non intellegimus, qua ratione Xanthias haec instrumenta ad tabernaculum philosophorum prorsus euertendum adhibere iubeatur (1489 sq.). nam cum Strepsiades u. 1483 Mercurii consilium, quo concremare meditatorium iussus erat, palam probauerit, non percipimus, quo modo aut domus combusta diruatur aut domus diruta comburatur. tantum enim abest, ut Strepsiades, id quod facile cuipiam in mentem uenerit, de philosophis duplex pro peccatis supplicium sumpturus fuerit, ut, quos aedibus euersis necasset, eis igni admoto gratam apud inferos quietem daturus fuerit. possis forsitan cogitare eos eodem tempore utrumque poenae genus exercuisse ita quidem, ut Strepsiades meditatorium flamma incenderit, Xanthias tectum, quod scalarum opera petierit, dolabra euerterit. sed uereor ne ita seruus egregiae erga dominum oboedientiae iniustas poenas flammis soluerit. neque uero melius quam antecedentibus sequentibus hi uersus respondent. nam si re uera ab Aristophane illi uersus hoc loco scripti essent, debuit omnino addere, unde Xanthiam huic eri praecepto paruisse intellegeremus. atque tum certe de tecto aedium

cum philosophis collocutus esset, qui eo probabilius prae Strepsiade seruum compellassent, quo maiorem tumultum illis instrumentis quam flamma tabernaculo immissa excitatum fuisse oporteret. quapropter editores, si hos uersus (1487—89) in textu retinebant, uu. 1495 sq. et 1503 non minus quam uu. 1500 sq. Xanthiae dare debuerant. nam cum e u. 1502 appareat unum hominem tectum occupasse, qui illo οὗτος — οὑπὶ τοῦ τέγους discernatur ab altero, qui humi stet, e u. 1487 colligere debebant u. 1502 ad Xanthiam pronuntiari, qui sequente uersu respondisse existimandus esset. atque huic ratiocinationi libri optimae notae Rauennas et Venetus respondent, qui u. 1503 nomen Xanthiae praefigunt. similem rationem Bergk in edit. a. 1867 adhibuisse uidetur, cum uu. 1495 sq. et uu. 1499—1501 Xanthiae adsignaret. sed hoc modo personarum distributio ad uu. 1487—89 rectissime, ad sententiam singulorum uersuum falso constituta esse uidetur. neque enim uu. 1495 sq. uel u. 1503 alii cuiquam tribui possunt nisi Strepsiadi, qui his ea, quae apud ipsum Socratem audierat (1496 cf. cum 320; 1503 cf. cum 225), facete illudat. nec Xanthiae ulla in nostra quidem fabula cum Socrate consuetudo intercedit. quae cum ita sint, uituperationem uix effugere posse uideris. nam si hos uersus (1495 sq. 1503) Xanthiae tribuas, deprauas sententiam, quae efflagitat, ut uni Strepsiadi adiungantur, si Strepsiadi, repugnant uu. 1487—89, qui poscunt ut Xanthiae tribuantur. ‚attamen uu. 1500 sq. Xanthiae adsignandi sunt'. sane. sed ita quoque ipsi sententiam nostram adiuuant. nam cum, si per se hos uersus consideres, appareat eos non a poeta hoc loco

positos esse, ipsis ei uersus in dubitationem uocantur, quorum ratione inculcati esse uidentur. neque uero percipitur, quomodo illud τοῦτ᾽ αὐτὸ γὰρ καὶ βούλομαι (1499) a condicione sequente pendere possit. non enim Xanthiae quo tum tenebatur studium (βούλομαι) ipso illo tempore ea re, quae poterat aliquando accidere, ut dolabra aut ipsius collum frangeretur, deleri poterat, cum nullo modo liqueat, quam uim tempus futurum prorsus incertum ad certas praesentis aetatis rationes habeat. qua de causa uu. 1500 sq. ab eo inculcati esse uidentur, qui melius consuleret uu. 1487 — 89 quam grammaticae rationi. itaque cum uu. 1487—89 et uu. 1500 sq. nullo modo in scaenam nostram cogi possint, eos eiciamus necesse est. his autem remotis oratio inde a u. 1475 bene procedit. neque enim accuratiore de dolabra et scalis adhibendis ut de re dilucida definitione opus est, et ea quae inde a u. 1494 existit stichomythia — ut ita dicam — bene philosophorum animos perturbatos illustrat. Xanthiae autem nullum uerbum in scaena est concedendum, cum nihil aliud agat, nisi ut domino instrumenta adportet, quibus ad eius ultionem opus erat; nam omnem poenam is, cui a philosophis fraus facta erat, solus exercet.

Iam uero facile hos uersus interpolatori posterioris aetatis attribuas, qui, cum non intellexerit, cur Xanthias illa instrumenta proferre iuberetur, eos loco integro immiscuerit. sed cum idem, qui uu. 1487 — 89 etiam uu. 1500 sq. adiunxisse uideatur, auctorem illum non stultum sed satis cautum fuisse concedere debemus. neque magis in ceteris ille sibi defuit, siquidem u. 1491 illud ἐγὼ eidem debere uidemur. nam illa uoce, qua nunc

quidem maxime opus est, deletis quae delenda sunt libenter carebimus. quapropter cum in his uersibus, si eos per se consideres, nihil insit, quod Aristophane indignum esse iudicemus, uerisimillimum est, utrasque Nubes ut aliis nostrae fabulae locis sic hic quoque misere consarcinatas esse. debent autem ei uersus, qui cum exitu posterioris fabulae pugnant, e proecdosi huc peruenisse. quod si uerum est, haec frustula ad finem priorum Nubium pertinent, in qua hoc modo Strepsiades philosophos uidetur esse ultus.

Reliquum est, ut ueterum auctorum locos, qui quidem e prioribus Nubibus laudentur et ad finem comoediae respiciant, opinioni nostrae non repugnare demonstremus. inter quos principem locum tenet is quem Photius nobis seruauit:

*Κείσεσθον ὥσπερ πηνίω κινουμένω*

cum haec adderet: *σκώπτει γὰρ τοὺς περὶ Χαιρεφῶντα εἰς ξηρότητα καὶ ἀσθένειαν.* qui uersus si omnino in prioribus Nubibus scriptus erat, ad exitum comoediae referendus est. neque est cur dissentiamus a Buechelero, qui haec uerba aduersus Socratem et Chaerephontem a Strepsiade edita fuisse iudicauit. quo superiorem opinionem prodere non cogimur, quod ueri est simile, philosophos audito tumultu, qui ascia effectus esset, et proruisse foras, ut domum seruarent, et uerbis infestis Strepsiadem ad illa egisse. ex his apparet metecdoseos exitum priore multo breuiorem esse. cauendum enim erat Aristophani, ne primo statim impetu inimicis tabernaculum philosophi traderent, qui multo maiore boni successus spe domum in priore fabula defendere poterant

quam in posteriore, ubi ipsa flamma atque fumo aedibus exiguntur (1495 sqq.). unde fortasse factum est, ut illa scaena, quod ultra modum produceretur, postea a poeta mutaretur. cum uero illud tota fabula appetitum fuisse uideatur, ut supplicium de philosophis sumeretur, nostrae comoediae finis, quo iusta poena minus retardetur, prae illo priore praestare uidetur. — . apud eundem autem Photium leguntur haec: Πάρνης· τὸ ὄρος θηλυκῶς·

Ἐς τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν
Λυκαβηττόν.

Ἀριστοφάνης Νεφέλαις. καὶ ἑξῆς. qui uersus, si recte Teuffel (Mus. Rhen. X p. 232) eum fini prioris fabulae attribuisset, cum nostra opinione coniungi posset. sed Buecheler [99]) cum refutaret Teuffelii coniecturam, uerisimilius esse putauit Photium illo uerbo ἑξῆς u. 323 rationen habuisse, quam tertiae Parnetis mentionis, quae, si frustulum nostrum in exitu fabulae collocatum fuisset, post illud facta fuisset et cum ceteris interiisset. in loco autem fragmenti accuratius describendo Fritzschium [100]) refutauit Teuffel [101]), Teuffelium Buecheler [102]), qui quidem nihil aliud extricari posse censuit, quam ut ante u. 323 frustulum illud pronuntiatum fuisse statueret. nobis uero ad sedem illius uersus definiendam uu. 263—75 aliquid conferre uidentur. neque enim intellegimus, cur Socrates bis ad Nubes precetur et uu. 265 sqq. et uu. 269 sqq.

---

99) l. l. p. 678.
100) l. l. V p. 12.
101) Mus. Rhen. X p. 228.
102) Cf. not. 99.

neque interest inter utrumque precationis modum aliud quidquam, nisi quod in posteriore loco Nubes, quarum uariae sedes enarrentur, maiore cum ui exorari uidentur. sed ne quis in hoc loco duas editiones commistas esse putet, si uarias numinum, quae in nostra fabula inuocata sunt, obsecrationes ad uarias comoedias referas, non duas sed quattuor fabulas metecdosi confusas teneri arbitrere [103]). neque uero in duabus illis precationibus offenderemus, modo appareret, qua de causa Socrates intra uu. 265 et 269 iterum ad inuocationem dearum ageretur. quapropter nobis quidem locus corruptus esse uidetur. nam inter uu. 265 et 269 excidisse causam iudicamus, cur philosophus denuo deabus supplicaret. atque haec sententia eo confirmatur, quod Socrates, qui u. 296 in Strepsiadem propter scurriles eius facetias grauiter inuehitur, ad ea senis uerba, quibus antea silentium sacrum profana ratione laeserat (267 sq.), ne minimum quidem respondet. quae cum ita sint, lacunam illam hac fere sententia explendam esse censemus, ut Socrates etiam post u. 268 discipulum propter sermonem impium uituperauerit. nam timendum esse, ne Nubes propter irrisiones Strepsiadis *ἐς τὴν Πάρνηϑ' ὀργισϑεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν Λυκαβηττόν* rursus abirent [104]). hac de causa Socrates multo ardentius quam antea ad deas precatur, ut numinum iram fortasse excitatam placaret.

---

103) Cf. uu. 264 sq.; 269—74; 424; 627. itaque uerum indicasse uidetur Teuffel, qui ad u. 424 sic: Freilich kann in diesen Schöpfungen der Willkühr und des Spottes strenge Consequenz kaum erwartet werden.

104) Cf. Dindorf. l. l. IV p. 128, 2.

Iam uero si haec loci explicatio probabilis est, apparet uu. 263—75 proecdosi, uu. 291—97 uni metecdosi adscribendos esse. nam cum in proecdosi similis sententia atque ea, quae uu. 296 sq. expressa est, u. 268 secuta esse uideatur, si aliter statueres, paucis uersibus interpositis (269—92) eadem res languida iteratione proferretur. sed haec coniectura, quae altera coniectura fulta sit, recte dubia apparebit; melius fortasse placebit, postquam alias quoque difficultates in uu. inde a 291 ad 297 inesse demonstrauimus.

Quaerit igitur Socrates ex Strepsiade, num uocem et tonitru dearum, quas modo planissime significauit (291 sq.), audierit. respondet senex et audiisse se et maxime uereri, ne quid humani sibi accidat (293 sqq.). quae cum ita sint, miramur quod senex paucis uersibus interpositis de eisdem numinibus quae sint dubitat (314 sq.), et Socrates iterum uu. 316—18 de eis respondet; ac dubitat quidem senex chori post carmen antistropham, ubi iterum dearum uoces audiuit. his addendum est post parodum finitam, qua chorus in orchestram iam ingressus est, Strepsiadem negare chori personas a se cerni (322) et a Socrate in eum qui est παρὰ τὴν εἴσοδον (326) locum remitti. e quibus concludimus uu. 314—22, ubi post uu. 291—97 leguntur, non posse intellegi. uidentur autem et ipsi et coniuncti cum uu. 323—28 unum post u. 290 quadrare. quod si concesseris, uu. 291—97 ibi extare potuisse negabis. quapropter uni metecdosi eos adsignamus.

Sed de his quoquo modo iudicabis, id iam certum esse uidetur coniecturam de fragmento illo Photiano,

quam Teuffel proposuit, ueri dissimilem esse. nos autem iam omnia fere congessimus, quae haberemus de locis illis priorum Nubium, pro quibus hypotheseos sextae auctor noua in metecdosin uenisse uerissime iudicauit.

---

# Vita.

Ego Paullus Hugo Gustauus Weyland natus sum Id. Septbr. anni 1848 Buslare, qui uicus Pommeraniae non procul ab Coeslin oppido situs est. litterarum elementis per octo annos imbutus sum in gymnasio Gryphimontano, quod Campe V. Ill. rectore gloriatur. inde mense Octobri anni 1865 in Berolinensem academiam profectus sum, ut potissimum Graecis et Latinis litteris me darem Hauptii Kirchhoffii Mommsenii aliorum fama motus. mense deinde Aprili anni 1867 Gryphiswaldiam me contuli, ubi per duo semestria Schoemanni Hoeferi Buecheleri Georgii Hirschii lectiones diligenter audiui. tum uero, postquam per semestre tempus corpus leuiter aegrotum domi curaui, exeunte aestate anni 1868 Gryphiswaldiam redii studia academica absoluturus et per sex menses subsequentes seminario philologico interfui sodalis ordinarius, iterumque Schoemanni Hoeferi Buecheleri scholas frequentaui. quibus uiris omnibus gratias ex animi sententia ago quam maximas.

# Theses.

## I.

*Nego ‚cubi' pro ‚ubi' ‚cubicunque' pro ‚ubicunque'. similes formas in Plautinis fabulis restituendas esse contra Ritschelium in Mus. Rhen. nou. XXV p. 306 sqq.*

## II.

*In Acharnensibus Aristophanis u. 1226 loco mouendum esse iudico.*

## III.

*In Horatii carm. II, 17. 25 pro ‚cum' Lachmannus melius ‚cui' quam H. Duentzer ‚ac' (Philol. XXVII p. 112) proposuisse uidetur.*

## IV.

*In Terentiana Eunucho prologi uu. 14 sq. ad sententiarum nexum quadrare nego.*

## V.

*Summum artis criticae principium continetur Epicharmia illa sapientia: νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν.*

